



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

110. De eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Si conjugatus vult seculum relinquere.

*Ex epistola Nicolai.*

CIX. Itaque summo studio Thietbircgam  
conjugem tuam tanquam propriam carnem  
fovere ac diligere procurato, & ne illam à te  
separari ullo pacto consentias, vigilanter at-  
tende. Unde si vult à te discedere, corripe,  
immo corrige eam, & à tali intentione per  
omnia revocare satage. Jam verò si amore pu-  
dicitiae separationem quærit, & conjugalis  
connubij solutionem efflagitat, certum est,  
Apostolo dicente, quia mulier sui corporis po-  
testatem non habet, sed vir. Verùm si & ipse  
pudicitiam sectatus, religionis obtentu copu-  
lam dissolvere vis, tantùm ne simulatè fiat,  
concedimus. Nam licet sit scriptum, *Quod*  
*Deus conjunxit homo non separet*, Deus tamen,  
& non homo, separat quando divini amoris  
intuitu ex consensu utriusque conjugis matri-  
monia dissolvuntur. Si ergo hoc modo vis,  
gratuito permittimus animo, celeremque præ-  
bemus assensum. Aliter autem fieri mutuam  
separationem vestram prohibemus.

De eadem re. *Ex dictis Basili Episcopi.*

CX. Si quis vult conjugatus converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi priùs  
à conjugi castimoniam profitente fuerit abso-  
lutus. Nam si illa, vivente illo, per inconti-  
nentiam alteri nupserit, procul dubio adulte-  
ra erit; nec recipitur apud Deum ejusmodi vi-  
ri conversio, quam sequitur conjugalis fœde-  
ris prostitutio. Tales igitur tunc sine culpa se-

Nicol. I.  
epift. 67.  
Burchard. lib.  
9. c. 53.

254 R E G I N O N I S T I B . II.  
quuntur Christum , reliquo seculo , si habeant  
ex pari voluntate castitatis consensum.

De his qui conjuges sine judicio dimittunt.  
*Ex Concilio Agathensi.*

Conc. Agath. C X I . Hi verò seculares qui conjugale con-  
c. 25. fortium nulla culpa graviori dimittunt vel  
Lib. 7. Capi. etiam dimiserunt , & nullas causas discidi-  
tular. c. 226. probabiliter proponentes , propterea sua ma-  
trimonia dimittunt ut aut aliena aut inlicita  
præsumant , si antè quām ante Episcopum  
comprovincialem discidiij causam dixerint , &  
priūs uxores quām judicio damnentur abje-  
runt , à communione Ecclesiæ ac populi cœtu ,  
pro eo quōd fidem conjugij maculant , exclu-  
dantur.

Ut omnis controversia , si judicio ecclesi-  
stico expetit agitari , nequaquam ad secu-  
lare judicium transeat. *Ex Capitulare.*

C X I I . Statutum est ut quæcunque con-  
troversiæ judicio & auctoritate ecclesiastica  
cœperint agitari , nequaquam ad seculare ju-  
dicium transeant , ubi iteratò provocent , sed  
ecclesiasticis sanctionibus terminentur. Nam  
à judicibus quos communis consensus ele-  
git ad alios judices non licet provocare , nū  
major auctoritas sit , secundūm canonicam  
normam. Si autem in seculari judicio , id est ,  
in Comitis placito , causa priūs fuerit ventila-  
ta , secundūm legem mundanam finiatur , sal-  
vo ecclesiasticæ legis privilegio.